

10.

RECTOR
VNIVERSITATIS LIPSIENSIS
AD
FESTVM
NATIVITATIS CHRISTI
IN
TEMPLO ACADEMICO
CRAS DEO VOLENTE
HORA XII. ANNO AB ILLA cIo lccc XLII.
SOLEMNI ORATIONE
CONCELEBRANDVM
OFFICIOSE AC PERAMANTER
INVITAT.

Luc. 11, 14.



uatitur diffensionibus Germania, ardent
 bello fertilissimae prouinciae duro et
 exitioso, opibus exhauriuntur regiones
 florentissimae, vastantur vrbes et agri, et
 calamitates in fines patriae nostrae haud
 obscure se infundunt. Turbulentae
 tempestatis asperitas in vicinia saeuens
 nos terret, et futurorum casuum metu
 omnium animos implet, dubiosque suspendit. Bella, perinde
 ac incendia, raro ibi consistunt, vbi oriuntur, sed latius se ple-
 rumque diffundunt, et per proximas regiones errant, ac diua-
 gantur. Bohemiae caput, Praga, vrbs situ ac amplitudine, or-
 natu et aedificiorum pulcritudine inprimis nobilis, superiori
 saeculo dirissimae tricennali vastationi Germaniae initium et
 finem dedit. Nec nostra aetate funestis ominibus, quae Deus
 pro sua clementia auertat, detestetur, ac obruat, omnino carere
 videtur. Nos e difficili bello nuper egressi, vt tuta tranquil-
 laque pace, Deo auctore, et tanti muneris datore, conciliata
 partaque in praesens perfruamur, **AVGVSTISSIMI RE-**
GIS nostri AVGVSTI perfecit vigilantia, ac incredibile ca-
 lamitatum, a subditis amoliendarum, studium, atque abundantia
 et ardor amoris. Multoties in Romanorum nummis legitur
PAX AVGVSTA, et **PAX AVGVSTI**, quam nempe orbi Romano
 praestarent **TIBERIUS**, **CLAVDIVS**, **GALBA**, **VESPASIANVS**,
 aliique Principes, eos sequuti. Nostris animis impressa manet
 memoria **PACIS AVGVSTAE**, siue alma **PAX AVGVSTI** Regis
 nostri longe Clementissimi cura et prouidentia nobis conciliata,
 eiusque praesidio huc dum, inter tot bellorum strepitus, con-
 seruata. Interea tamen *μετὰ φόβῳ καὶ τρόμου* laeto hoc otio
 vtimur. Incertos esse belli exitus nouimus, et casus repenti-
 nos, Martemque communem non immerito reformidamus.
 Belli equidem furor et terror ex vicinia, et e finibus nostris,
 nunc videtur profligatus sublatusque. At vero quam facile
 noui et externi exercitus aduentu potest periculum renouari,
 et bellum ita inflammari, vt multo exitiosius saeuat, vagetur-
 que latius, quam antea? Formidinem augent peccata nostra, in-
 strumen-

Instrumenta bellorum, et faces ac tubae, quae poenas diuinitus immittas alunt, augmentque. In spem fundatae, perpetuaeque pacis, quae non pactio seruitutis, nihilque habitura insidiarum, sed vera, et Ecclesiae ac Reip. salutaris, atque, confectis extinctisque dissensionum scintillis, aeterna sit, nunquam veniemus, nec firma impetrabitur pax, nisi resipiscamus serio, ac Christo pacificatore confisi, eodemque deprecatore vti, Deo scelerum ultori reconciliemur, eiusque praesidio ab iniuriis et interitu defendamur. Hunc malorum auerruncum, et salutis publicae auctorem, ac fundatorem pacis, quam de seipso praestare nemo potest, multo rectius colimus et veneramur, quam ciues Romani suos Principes, qui illos PACATORES, et PACIFICATORES ORBIS, ET PACIS FVNDATORES in nummis, quorum permulti etiamnum prostant, adulandi studio adpellabant.* In otio et pace veteres, Graeci perinde ac Romani, omnem salutem, et felicitatem ab omni laude summam, ponebant, exclamantes, *Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes*, hac ratione a BACCHYLIDE, poeta Lyrico, et PINDARI aemulo, reddita, in *Paeanibus*:

Τίκτει δὲ τε θνατοῖσιν εἰρήνη μεγάλη

Res maximas mortalibus producit pax.

Prisci eam velut cunctae felicitatis matrem sub variis symbolis repraesentarunt, ac imprimis sub imagine stantis mulieris, arma comburentis. Quo ipso perbelle illustrari potest non tantum locus Esa. IX, 4. ubi *vestimenta*, siue saga, in sanguine volutata, et inquinata, *in combustionem fore* dicitur; sed et Psalm. XLVI, 9, 10, ubi pax describitur ex cruento praelio et victoria orta, cuius consequens, perinde ac Iosuae XI, 6, scutorum ac curruum combustio erat.** In nummis legitur *εἰρήνη pax*, Cereris instar, spicis coronata, et cum prominentibus e sinu spicis repraesentata, ad indicandam agrorum in pace et otio cultorum fertilitatem. Sed

A 2

veram

* Videatur EZECH. SPANHEMIVS *de Vsu et Praestantia Numismi*. T. II. f. 641. et 642.

** In nummis Vespasiani et Domitiani pacem, quae victoriae fructus esse solet, ita videas expressam, ut altera manu face ardente ignem spoliis et armis, scutis, pharetris, et aliis instrumentis bellicis, in magnum acervum congestis, iniiciat. Sic in nummo gazae Arschoranae pax repraesent-

IV

veram pacem, eiusque conciliatorem, et auctorem, homines illi profani, et superstitiosi falforum Numinum cultores, ignorarunt. Nos pacem non caducam, et breui, vti fieri solet, tempore euanituram, sed aeternam, fundatamque, cui nullum inuolutum est bellum, petimus a solo Deo Trinuno, a quo *πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δόρημα τέλειον* Iac. I, 17 descendunt, et qui generi humano pacem in vetustis vatum diuiniorum oraculis cumulate promisit, a Christo pacis Principe Es. IX, 5, in carne apparituro, promerendam, conferendamque. In eius quippe diebus *pax sine fine, et iustitia cum abundantia pacis* dicitur exoritura l. c. et Psalm. LXXII, 7. Hoc Rege regnaturo gentes dicuntur *gladios suos conflaturae in vomeres, et lanceas in falces. Non leuabit eo tempore gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad proclium* Es. II, 4. Perinsignis haec est fundandae pacis altissimae pollicitatio, et peremphatica descriptio, paullo post a vate Cap. Esa. XI. ita repetita, et oratione figurata confirmata, *ut lupo dicatur habitaturus cum agno, et pardus cum hodo sit accubiturus.* Posterioris Templi gloriam descripturus Iehoua, ample pollicetur, pacem se daturum esse in isto loco Hagg. II, 7. Haec aliaque vaticinia de pace Iudaeae non tantum genti, sed vniuerso terrarum orbi aduentu Christi imperienda, post natam mundi salutem continuo fuerunt rata atque impleta. Genius coelestis, fecialis velut orator, pacem, felicitatem atque gaudium, ex Christi natiuitate ortum, omnique populo profuturum, pastoribus Bethlehemiticis, insolito lucis adspectu attonitis, denunciat, eorumque perterrefactos animos confirmat. Antea angeli *ἐπιθυμοῦντες παρακύψαι*, reconciliationis arcana Deum inter et homines lapsos ardenter, et inclinato quasi capite, veluti cherubi super arca positi in adyto Templi, cupiebant inspicere, 1 Petr. I, 12. Nunc *ἐνσαρκωσιν τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ* propius contemplati, *ἐν τῷ σωτήρι*, qui est *ὁ Χριστὸς ὁ Κύριος*, exsantur, vehementerque laetantur.

Nato

praesentatur *Tab. XLVII. Num. 13. p. 225.* Typum et inscriptionem eandem exhibuere *MEDIOBARBUS*, et *EZ. SPANHEMIVS* l. c. qui *PACEM AETERNAM* cum symbolo pacis, arma comburentis, in M. Antonini nummo ex Regia Gallorum gaza descripsit. Videatur etiam *Cl. LIEBII Gothae Nummariae Caput III. f. 73.*

Nato Seruatore vniuersus geniorum coelestium chorus, siue
 πλῆθος στρατιῶν ἁγίων, coelo se effundens, confestim aderat,
 et celebrata diuini Numinis gloria, congratulaturus pacem,
 vniuerso terrarum orbi partam, suauiter accinebat: Δόξα ἐν
 ὑψίστοις, siue ἐν τοῖς ἁγανοῖς, Θεῷ. ΚΑΙ ἐπὶ τῆς γῆς εἰρήνη, Deo in
 coelo sit laus honor et gloria, QUANDO QUIDEM nunc in terris
 est pax, Luc. II, 14. Idem est, ac si dixissent, ἐπὶ γῆς ΓΑΡ
 εἰρήνη νῦν γέγονε, interprete THEOPHYLACTO, antistite Bul-
 garorum.* Legimus in nummis Imperatorum Rom. PACEM
 VBIQVE florentem dilaudatam, et VNIVERSO TERRARVM
 ORBI promissam, sed vanissime. Sub Gallieno nusquam pax
 erat, sed tumultuationes populorum, et bella per vniuersum
 Romanum orbem vbique saeuiebant, prouinciis foedum in
 modum afflictis, et tyrannorum ferocia dilaceratis.** Hac
 occasione quaesierunt viri eruditi, an tempore nati Serua-
 toris alta in vniuerso terrarum orbe pax fuerit? Et an pacis
 a Prophetis et angelis denunciatae, nomine, reconciliatio Dei,
 eiusque sola beneuolentia erga homines; an simul pax tem-
 poralis intelligi debeat? Pacem spiritualem, diuinam, aeter-
 namque Christi aduentu, et natiuitate, allatam esse, et vetustis
 vatum oraculis respondisse euentum, ex Christianorum coetu
 nemo dubitat, postquam illa aduersus Iudaeos recentiores to-
 ties vindicata fuerunt et illustrata. Haec est illa pax sub Mes-
 siae regno, *donec luna auferatur*, duratura, Psalm. LXXII, 7, cu-

A 3

ius

* Sic THEOPHYLACTVS voculam ΚΑΙ exponit αἰτιολογικῶς, quod
 Graecis non est infrequens. Saepe καὶ est causalis, et pro ENIM
 vsurpatur. Recte hoc notauit IO. ZONARAS in Scholiis ad Canonem
 LXXIV. Concilii Constantinopolitani in Trullo habiti, T. I. Synodici Be-
 uereg. f. 244. in hunc sensum hymnum angelicum interpretatus.

** Veteres nummi Galbae e. g. et Othonis pacem orbis terrarum de-
 nunciantes, vana pacis iactatione mortales turpiter fefellerunt. Quod
 etiam de obuiis illis Neronis nummis dicendum, in quibus cum tem-
 plo Iani signata legitur inscriptio: PACE P. R. VBIQVE PARTA
 TEMPLVM CLVSIT. Eadem vanitate in nummo Gallieni aureo,
 quem ad Iuliani Caesares attulit EZ. SPANHEMIVS p. 103. legitur
 VBIQVE PAX. Cum tamen orbis Romanus eo tempore, ob Princi-
 pis ignauiam, vbique bellis dilaceratus, prouinciarum et Praesidum de-
 fectionibus miserum in modum concuteretur.

ius *nullus* erit *finis*, Esai. IX, 7, quam Seruator, vinculis constringendus, et ultimo crucis supplicio subiiciendus, paullo ante mortem discipulis reliquit, *εἰρήνην*, inquit, *ἀφίημι ὑμῖν· εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν· Ὁὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν*, Ioh. XIV, 27. Haec pax diffidia, Deum inter et homines, horum defectione et lapsu orta, tollit, et amorem mutuum, atque concordiam, Mediatore et conciliatore Christo Iesu, cum peccatoribus poenitentibus restaurat. In praesens autem de eo disquiritur, an vetera diuinorum vatum oracula praeter spiritualem pacem, etiam temporalem promiserint, et coelestes nuncii decantauerint, illaque etiam illata sit orbi terrarum per Filii Dei *ἐπιφάνειαν*, et *φανέσῃεν ἐν σαρκί*, 1 Tim. III, 16. Vtramque pacem beatos angelos cantibus celebrasse vir illustris P. D. HVETIVS, Praesul quondam Abrincensis in Gallia eruditissimus, putauit. * Et aeternam quidem ac coelestem his verbis: *Gloria in altissimis Deo*; Terrenam vero ac temporariam istis: *Et in terra pax hominibus bonae voluntatis*. Eandem hanc pacem etiam post Christum diu perseuerasse sibi persuadet. Suffragantur multi alii viri eruditi. Etsi enim cum HVETIO non prouocant ad annales Sinensium, in quibus proditum sit, *eo tempore, cui ortum Christi adsignamus, altam pacem per illos tractus floruisse*; existimant tamen, ex Romanorum fastis, et veterum Ecclesiae Doctorum monumentis, id abunde probari posse. Hanc sententiam prodiderunt ANTON. PAGIVS, ** IS. CASAVBONVS, ANT. BYNAEVS, et NANVS TILLEMONTIVS, qui res ab Imperatoribus gestas enarraturus, Augusti imperium, sub quo Christum Iesum natum esse constat, vniuersalis pacis praeconio exorditur, putatque, pacem illam externam, Seruatore in his terris apparituro, ubique constitutam, elegantem

pacis

* P. D. HVETIVS in *Demonstr. Eu. Prop.* IX. Cap. VIII. §. III. p. m. 730.

** ANT. PAGIVS in *Apparatu Chronolog. ad Criticam Anti-Baron.* §. CXXIX. f. 31. ISAAC. CASAVBONVS in *notis ad SVETONIVM in Vita Augusti* Cap. XXII. p. m. 146. edit. Graeuii. ANT. BYNAEVS de *Natali Iesu Christi* L. I. Cap. IV. §. XXI. p. 433. NANVS TILLEMONTIVS statim initio praestantissimi operis: *Histoire des Empereurs T. I. p. 1. Le Fils de Dieu étant prest de se faire homme, pour nous*

pacis spiritualis ab eo allatae imaginem fuisse. H. NORISIUS, Princeps R. E. purpuratus, sed eruditionis gloria multo illustrior, persuasus, traditione Patrum constare, pace ubique florente, natum esse Dei Verbum, in similitudinem hominum factum, KEPLERVM, peregregium et exercitatissimum in siderali scientia et erudito puluere magistrum, id negantem, refellit.* Omnes isti viri eruditi prouocant ad testimonia Doctorum veteris Ecclesiae. Sic IO. MARTIANAEVS, Presbyter Congregationis S Mauri, nouissimus Operum HIERONYMI editor, T. III. f. 23. adnotauit, *veteris Ecclesiae vno consensu firmatum esse, quod scilicet antea adseuerauerat, tempore nati Christi altissima pace genus humanum fruebatur. Iani enim templum paullo ante obserauerat Augustus, teste SVETONIO.* Singulatim prouocatio fit ad EVSEBIVM, AMBROSIVM, AVGVSTINVM et HIERONYMVVM, nec non ad fastos Martyrum Romanos, in quibus ad diem XXV Decembr. notatur, *Iesum Christum, toto orbe in pace composito, natum esse.* Tandem rei confici posse opinantur auctoritate et fide PAVLLI OROSII*, Hispani, presbyteri Tarraconensis, discipuli D. AVGVSTINI, quo hortante condidit aduersus paganorum calumnias opus historicum, sub cuius initium natalem Christi describens ait**, *eo tempore, facta cum Parthis pace, Iani portas clausas esse, et bella toto orbe Romano cessasse.* Copiosius illam Iani clausuram et pacem deinceps praedicat, et ita dilaudat, vt putet, *Christum natum Caesari regnum tranquillissimum dedisse.* Quin et ipsum CORNELIVM TACITVM, pacis huius, quam Augustus sanxerit,

nous apporter du Ciel la paix veritable et avec Dieu, et avec nous même, et avec les autres hommes a voulu donner en même temps une image de cette paix interieure, en établissant sur la terre une paix exterieure et visible.

* H. NORISIUS in Cenotaph. Pis. Diff. II. cap. X. f. 200. Scripserat KEPLERVS Cap. II. de Anno Natiuitatis Christi, frustra nos niti auctoritate OROSII, nec vllum momentum situm esse in pace orbis, Ianoue clauso, ad inuestigandum annum Christi natalitium. Sed in his KEPLERVM deceptum esse putauit NORISIUS. Nam pacem, in Orbe Romano praesertim, fuisse, Christo nascente, Patres concordi sententia tradidisse ait.

** PAVLLVS OROSIVS Libro I. Cap. I. p. m. 7. Postea L. VI. Cap. XXII. p. 448. et L. VII. Cap. II. et III. p. 456. edit. Haucercamp.

rit, diuturnitatem in eo fragmento, quod OROSIVS ibidem promit, commemorasse, HUVETIVS monet et vrget. Vbi tamen obserues, neminem ex Patribus, praeter OROSIVM, Ianni, Christo nascente occlusi, vllam fecisse mentionem. Plerique redditam illo tempore orbi Romano pacem laudant, nequaquam autem inficiantur, anno Christi Iesu natali vllum vsquam bellum fuisse. Nonnulli solam respiciunt pacem aeternam ac spiritualem, vetustis prophetarum oraculis decantatam, atque promissam, et a Christo conciliandam. Quando ex veteris Ecclesiae Doctoribus vnus et alter praedicat tranquillitatem externam, in Imperio Romano eo tempore sancitam, respiciunt tempestates motuum ciuiliu, quibus Iulii Caesaris et Pompeii, Antonii item et Caesaris Octauiani dissensionibus antea, vsque ad Actiacam victoriam, orbis terrarum concussus fuit, quam rerum summa vni Augusto deferretur. Haec temporum felicitas, et publica quies sub illo Principe orbi redita, per opportunam legatis Seruatoris nostri occasionem dedit Euangelii per cultiores Rom. Imperii prouincias tranquille, et cum successu, diuulgandi. Hoc ipsum est, quod dilaudat HIERONYMVS,* quando ait: *Antequam nasceretur Christus, totus orbis plenus erat sanguine. Postquam autem ad imperium Christi, singulare imperium Roma sortita est, Apostolorum itineri peruius factus est orbis, et apertae sunt eis portae urbium ad praedicationem vnius Dei.* Nunquam enim antea tanta felicitas cum omnium bonorum abundantia Romanis obtigerat, quantum Caesar Augustus, ad ministris filiis Tiberio, Druso, Germanico vsus, praestitit, testibus STRABONE** et DIONYSIO*** HALICARNASSENSI. Huc pertinet testimonium ORIGENIS† cum CELSO disputantis, qui obseruat, in diebus nati Iesu Christi exortam esse iustitiam καὶ πλῆθος εἰρήνης, et abundantiam pacis. Hoc Doctor Adamantius singulari Dei prouiden-

* HIERONYMVS *Comment. ad Michae IV. T. III. Oper. f. 1523. edit. Benedict.*

** STRABO L. VI. *Geograph. sub finem f. 441. edit. Almelow.*

*** DIONYS. HALICARNASS. L. I. f. 3.

† ORIGENES *Libro II. contra CELSVM §. XXX. T. I. Op. f. 412. edit.*

CAROLI DE LA RVE.

uidentiae adscribit. Neque enim pacificam Iesu doctrinam putat potuisse inualefcere, εἰ μὴ τὰ τῆς οἰκουμένης τῇ Ἰησοῦ ἐπιδημίας μετεβέβλητο πανταχοῦ ἐπὶ τὸ ἡμερώτερον, nisi toto orbe aduentus Iesu placatis animis dissidia composuisset. Huc respexit EVSEBIVS*, quando ait, εἰρήνη διελάμβανε τὴν σύμπασαν γῆν, pax uniuersam terram occupauit sub aduentum Domini, imperium in orbis nationes obtinente Augusto. Sic D. AVGVSTINVS**, ad quem dissentientes etiam prouocare solent, nihil aliud dixit, quam imperante Caesare Augusto, et per eum orbe pacato, natum esse Christum. Similiter D. AMBROSIVS*** commentator Psalmi XLV, 10, quaerens vaticinationis implementum, illud inuenit in natiuitate Iesu Christi, quo tempore Deus bella usque ad fines terrae abstulerit, sedatis in orbe Romano praeliis intestinis. Et paullo post monet, Dominum abstulisse bella, quae mouebat nobis nequitia spiritualis, et deuicto Diabolo, pacem suam, h. e. spirituales atque aeternam, nobis reliquisse. Prolixius haec enarrat HIERONYMVS, illustraturus Caput secundum Esaiae, Veteres, inquit, reuoluamus historias: et inueniemus usque ad vicesimum octauum annum Caesaris Augusti, in toto orbe terrarum fuisse discordiam, et singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio praeliandi, ita vt caederent, et caederentur. Orto autem Domino Salvatore, tunc omnia bella cessauerunt, videlicet ciuilia et intestina: Et nequaquam per oppida et vicus exercebantur ad praelia, sed ad agrorum cultus, militibus tantum legionibusque Romanis contra barbaras nationes bellandi studio delegato, quando impletus est angelorum ille concentus, Lucae II, 14. et Psalm. LXXII, 7. Quaedam his similia habet asceta ille Bethlehemiticus, in Commentario ad Micham, nunc non exscribenda. Ex his aliisque Patrum testimoniis adparet, nullum eorum adfirmasse, Iani fanum eo anno, quo Seruator natus est, ab Augusto clausum fuisse. Dilaudarunt illi pacem aeternam et spiri-

* EVSEBIUS in Dem. Eu. Libr. VII. cap. II. et III. f. 345.

** S. AVGVSTINVS Libr. XVIII. de Ciuit. Dei cap. XLVI. Op. T. VII f. 400. edit. Bened.

*** D. AMBROSIVS Comment. in Psalm. XLV. §. XXII. T. I. Op. f. 934. et 935. edit. Bened.

X

spiritualem, Christi natiuitate, et promeritis, Deum inter et genus humanum partam conciliatamque. Praeconio extulerunt publicam tranquillitatem, et felicitatem, Augusti auspiciis, ductuque, stabilitam. Nec aliud dixit EVSEBIUS, in prima acie ab HVERTIO l. c. collocatus. Verba eius digna sunt, quae recitentur: *Cum Christus se primum ostendisset, de quo Prophetae olim cecinerant, orietur in diebus eius iustitia, et multitudo pacis, Psalm. LXXII, 7, et Es. II, 4. ἀκόλῃθαι τοῖς προρρήσεσιν ἐπηκολέθαι τὰ ἔργα, oraculorum veritatem continuo rerum exitus comprobauit.* * Effectum Caesareensis ille antistes doctissimus adscribit praeconio Evangelii, a Christi legatis inter barbaras et efferas gentes diuulgati. De reliquo fasti Martyrum, ad quos NORISIVS imprimis prouocauit, sunt recentioris aevi, ac lapsu temporis subinde mutati atque interpolati addendo detrahendoque, vt forte perpauca superfint, iudice NIC. RIGALTIO, quae praestare possimus sincera. Certe non ante seculi quarti finem Martyrologium illud Romanum, Gregorii XIII. iussu editum, et Urbani VIII. auctoritate recognitum, est concinnatum, quia Christi natalis diei XXV Dec. adscribitur, quod festum antea isti diei non erat illigatum. Solus OROSIVS, qui quinto demum seculo post natam mundi salutem vixit, et quem emunctioris naris viri ταχυπηθείας, et nimiae credulitatis, dudum peregerunt reum. Hoc certum est, illum mirificam rerum Romanarum ignorantiam passim prodidisse, et multoties lapsum esse, quando praesertim res narrat a sua aetate nimium remotas, quae antiquiorum scriptorum testimoniis, et idoneis rationibus confirmari non possunt. Quo vel imprimis pertinent res aliae, ac θαυμάσια illa atque prodigia, quae circa Christi natiuitatem vulgo narrantur contigisse, et quarum scriptores nec αὐτήκοοι, nec αὐτόπται testes sunt. Qualis est narratio de oleo trans Tiberim e terra exundante, quod per totum diem defluerit; De circulo ad speciem coelestis arcus orbem solis ambiente, significante scilicet, exoriturum nunc esse Solem iustitiae, et quae sunt alia futurorum bonorum prodigia, quae sub Augusto con-

* EVSEBIUS de Praep. Eu. f. m. 10. et Denonstr. Eu. Libr. VII. Cap. II. et III. f. 345.

contigisse, et Christi aduentus praemonstrandi causa obuenisse
 a CAES. BARONIO §. XXVII. *Apparatus ad Annales* dicuntur.
 In hunc censum referre oportet narratiunculam de Iani fano
 Christo nascente occluso. Ianus apertus, LIVIO teste, index erat,
 ciuitatem esse in armis: Clausus significabat, populos esse pacatos, et
 pacem, post diuturna et difficilia bella profligata, terra marique
 redditam. Disputatum esse nouimus inter viros eruditos, quoties
 Augustus Ianum Quirini, orbe perpacato, clausit? A SVETONIO,
 teste hac in re locuplete, et peridoneo, tres dumtaxat Iani κλήσεις
 Augusteae commemorantur. Digna nobis videntur TRANQVILLI
 verba, quae recitentur: *Ianum Quirinum semel temporibus Numae,*
atque iterum T. Manlio Torquato, et M. Atilio Balbo Coss. a condi-
ta Vrbe, memoriam ante suam, ex Numae Pompilii instituto, clau-
sum, in multo breuiori temporis spatio, terra marique pace parta,
*non semel tantum, sed TER clusit.** Hunc numerum et lectionem
 vulgatam confirmant vetusti codices, et DIO CASSIUS, et historia
 ipsa. Ex tribus hisce Iani clausuris, nulla ad natalem Domini perti-
 net. Quarta autem nusquam commemoratur. Prima vice post bel-
 lum Actiacum, victo Antonio, receptaque Aegypto, feliciter con-
 fectum, Romam redux anno V. C. DCCXXV circa mensem Sex-
 tilem, secundum vetus additamentum ad VICTOREM SCHOTTI,
manu sua ipse clausit. Sed post bienne temporis spatium, rupta
 pace, belloque in Britannia Hispaniaque orto, Iani fores iterum
 reserauit, et non nisi domitis Cantabris, anno V. C. DCCXXX cir-
 citer medio, sanitati restitutus, et Romam reuersus, *secundo* clausit,
ante Christum natum anno XXIX. postquam per quadriennium
 patuerat, et vltra. Superfunt hodieum complures nummi apud
 GOLTZIUM, MEDIOBARBVM, et IO. MASSONVM,** quorum
 vnus templum Iani clausum conspiciendum exhibet, et globum
 cum duobus hinc inde ramis, et epigraphe: PAX ORBIS TERRA-
 RVM. Geminas has belli portas secunda vice clausas, Augustus in
 Parthos expeditionem parans, et iter in Syriam ingressurus, anno
 V. C. DCCXXXII iterum reserauit, quae continuo patuerunt
 B 2 vsque

* SVETONIUS in *Vita Augusti* Cap. XXII.

** IO. MASSONVS in *Libro de Iani Templo Christo nascente reserato* Sect. III.
 Cap. III. p. 97.

vsque ad annum V. C. DCC XLIV, quo anno demum, repressa Dacorum et Dalmatarum rebellionem, cum Tiberio et Druso Romanam reuersus, *tertium* obserauit, anno ante Christum natum aerae vulgaris *decimo*. Quae tamen proximo anno rursus reclusae, toto reliquo Augusti imperio ob bella maximi momenti in Germania, Pannonia, Dalmatiaque saeuitura, nusquam *quarta vice* leguntur occlusae. Inde satis manifestus est OROSII error, qui tertiam Iani κλησιν retulit ad annum Seruatoris nostri natalem, quae tamen integrum decennium, si rationes recte subducas, Christi natiuitatem antecessit. Eo tempore, quo ὁ Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, bella gerebantur in Arabia, ad Istrum, in Armenia, et finibus orientis, ubi Caius Caesar exercitum aduersus Parthos ducebat. Immensum etiam bellum in Germania exarserat a M. Vinicio per subsequens triennium fortiter administratum. Missa igitur pace externa, qualem Seruator hanc in lucem Bethlehem editus, non attulit, Matth. X, 34 et Lucae XII, 51, nec in orbe Romano inuenit, nos multo praestantiorē pacem, cuius praecones, post prophetas, coelestes genii fuerunt, intelligimus, nempe aeternam et spiritualem, nulla hostium ferocia nobis adimendam, a Christo allatam, quae tam late patet, quam ipsum humanum genus per vniuersum terrarum orbem diffusum, et quam late patet peccati labes ex Adami defectione contracta, indeque nata inimicitia hominum cum Deo offenso et irato. Quotquot premuntur supremi Numinis ira, tot etiam recreantur illo laetissimo Euangelicorum praeconum nuncio de pace per Christum conciliata. Pax quippe ab angelis denunciatur non Bethlehem dumtaxat incolis, aut solis pastoribus ouium, nec terrae Iudaeae tantum, sed vniuerso terrarum orbi, et παντὶ τῷ λαῷ, Luc. II, 10, ita ut nulla sub coelis gens sit, ad quam haec pax non pertineat. Huius pacis cum hominibus ineundae fundamentum est ἡ εὐδοκία τοῦ Θεοῦ ἐν ἀνθρώποις, perbeneuola et gratiosa Dei voluntas, siue amicus et beneuolus Dei affectus, et serius amor erga homines, quo Deus humano generi fit propitius, et reconciliatus, per τὸν σωτῆρα* ἐν πόλει Δαβὶδ, id est,

* Vanissime igitur Iupiter, Diana Ephesia, aliaque gentium profanarum Numina in nummis, et alijs veterum monumentis, dicebantur Σωτῆρες, apud EZECH. SPANHEMIVM in notis ad CALLIMACHVM p. 122. et 226.

id est, *Saluatorem Bethlehemi natum*, ὅς ἐστι Χριστὸς Κύριος. Quem-
 admodum Deus Pater ἠυδόκησεν ἐν Χριστῷ, Matth. III, 17, Prou.
 VIII, 17, Luc. III, 22, ita per Filii sui missionem, et natiuitatem,
 propalam declarauit, quod etiam ἠυδόκησεν ἐν ἀνθρώποις, et quod
 nunc κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ Θελήματος αὐτοῦ, et propter Filium
 τὸν ἠγαπημένον, ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος
 αὐτοῦ, cum hominibus in gratiam redire velit. Recte igitur IOAN. CHRYSOSTOMVS hanc εὐδοκίαν τοῦ Θεοῦ exposuit
 per καταλλαγὴν, *reconciliationem*, et eius discipulus atque epito-
 mator THEOPHYLACTVS per ἐπανάπαυσιν, *requiem* et adquie-
 scentiam Dei, et bonum eius animum erga homines. Ἐπανα-
 πάυθη γὰρ ὁ Θεὸς νῦν, καὶ ἠυηρεσάθη ἐν τοῖς ἀνθρώποις. Antea
 enim, et extra Christum, οὐκ ἠυδόκει, ἐδὲ ἠρέσκετο ἐν τοῖς ἀνθρώποις,
 huiuscemodi complacentiam et beneuolum affectum erga morta-
 les perituros non habebat. Ex hac autem εὐδοκίᾳ, impetrata
 per fidem in Christum Iesum peccatorum venia, oritur εἰρήνη,
 quam δικαιωθέντες ἐκ πίστεως consequuntur apud Deum, διὰ τοῦ Κυ-
 ρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Rom. V, 1. Et haec est illa εἰρήνη pax,
 ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, Phil. IV, 7. Concordiae instauratio sup-
 ponit discordiam. Exoptatissima pax sequitur post durum et
 exitiabile bellum, quale Deum inter et semetipsum concitauerant
 male consulti peccatores. Perpendamus iustissimas virorum
 θεοπνεύτων hac de re querelas: *Iniquitates vestrae disternunt
 inter vos et Deum vestrum; et peccata vestra faciunt, ut occul-
 tet faciem a vobis Esa. LIX. v. 2.* Violatione legis diuinae mor-
 tales iacturam fecerant amicitiae et fauoris diuini, et inciderant
 in eius odium et iram, coelitus manifestandam, et ad instar ignis
 exarsuram aduersus omnem impietatem, atque iniustitiam,
 Rom. I, 18. Miseri diris deuoti a lege Deut. XXVII, et Gal. III,
 15, et ad inferos damnati, teterrimis et sempiternis cruciatibus
 subiiciendi erant. Nefas habebatur, maledictum viuere. Eam
 laesi supremi Numinis iram persentiscebant peccator, et malae
 conscientiae furiis exagitatus, ad quamuis iudicis vocem trepi-
 dabat, Genes. III, 8. Vicissim homo ψυχικὸς desperabundus,
 et in omne vitii genus proiectus, a Dei amore, et eo omni,
 quod sanctum et iustum est, abhorrens, nefando odio fere-
 batur aduersus Deum, Rom. I, 30, suorum scelerum vindicem.

Quidquid hodieum huiusmodi homo *θεοσιγής* sapit et cogitat, hostilitas est contra Deum, Rom. VIII, 7. Inita cum malignis geniis societate, sub eorum signis et ductu militat. *Extendit aduersus Deum fortem manum suam*, et ausu plusquam giganteo *aduersus fulminatorem*, siue omnipotentem, *confortat se*. *Currit aduersus illum ceruice*, Hiob XV, 25 et 26. Diuina mandata contumeliose conculcat, et stolidè optat, vel non existere Deum, sanctum videlicet ac iustum, vel non esse iudicem et peccatorum suorum ultorem. In tam funesto bello omnis spes pacis vnquam coaliturae prorsus videbatur decollasse. Nec vlla apparebat, aut excogitari poterat ratio, qua Deum inter et homines concordia sanciri posset. Deus iustissimus salua sanctitate peccatores in suam amicitiam, et communionem, recipere non poterat, Psalm. V, 5. Visus quippe fuisset quidam Vcalegon, et peccatoris similis, Psalm. L, 21. Iustitia diuina, atrociter laesa, spirabat vindictam, Rom. I, 32, Veritas dirissimam mortem, Gen. III, 3. Fieri non poterat, vt Deus se ipsum, suasque perfectiones abnegaret, II. Timoth. II, 13. Vicissim peccator ipse a pace cum Deo ineunda abhorrebat, suum exitium, velut mente captus, praeferens aeternae saluti. In hoc furore obdurabat, nec resipiscere poterat, a Satana excoecatus, II. Cor. IV, 4, et sub potestatem eius redactus, nec vnquam ex his vinculis euasurus, aut cum Deo in gratiam rediturus. Sic omni recuperandae gratiae et salutis spe euanescente, et rebus prorsus desperatis, ac conclamatis, Deus ipse *πλεσιος ὢν ἐν ἐλέει διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ*, Ephes. II, 4, ad miseros, qui *φύσει* erant *τέκνα ὀργῆς*, ex sempiterno interitu eruendos, inuenit viam omnes superandi difficultates. Erat quippe *ἐν χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ* II. Cor. V, 19, mittens Filium suum *ἰδίον, καὶ τὸν μονογενῆ*, Mediatorem, sponforem et expromissorem, qui diuinae sanctitati et iustitiae, legis violatione laesae, exacte satisfaceret, Deumque, soluto *ἀντιλήτρῳ*, cum genere humano, aeternum perituro, reconciliaret, ac secum reduniret, sancitaque pace, homines sempiternae salutis participes redderet, quotquot fide finali Christo redemptori essent adhaesuri. Vnde apparet huius salutis et pacis auctorem ipsum esse Deum. Vnde et *ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ*, Phil. IV, 7. et auctor

ἔστω ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης 1. Theff. V. 23. vocatur, quia pace per Christum facta omnia sibi reconciliauit Col. I, 20. In nummis antiquis PACATORES ORBIS celebrantur Imperatores Romani CARACALLA, POSTHVMVS, qui et FVNDATOR PACIS dicitur. * Sed temporaria, caduca et minus diuturna fuit illa pax post bella profligata, sed non extincta, in nummis celebrata, et magna vanitate PAX FVNDATA, AETERNA, PERPETVA vocata. ** Pacis vere aeternae diuinaeque, ac perpetuo duraturae, conciliator est Filius Dei, qui carne indutus, fusō sanguine piaculari, iram Dei in fauorem, et nostrum exitium in salutem commutauit. Quam ob causam pacem hanc vocat suam pacem, credentibus abs se, tanquam pacis principe Ef. IX, 5. conferendam Ioh. XIV, 27. Est quippe non tantum MELKIZEDEK, *Rex iustitiae*, sed et MELKISCHALOM Ebr. VII. 2, *Rex pacis*, et pax nostra, Eph. II, 14. Spiritus S. tantae felicitatis internuncius, instar columbae illius Noachicae cum ramo oliuae contritis, animoque deiectis, adest, hanc pacem in Euangelio offert, et in animis credentium obsignat, ac regnum Dei fundat, cuius insignis fructus dicitur εἰρήνη ἐν πνεύματι ἀγίῳ Rom. XIV, 17. Idem Spiritus legatos Christi donis instruit, eorumque vsus ministerio, homines blande inuitat, eosdemque enixe ac παθητικοτάτως obtestatur, καταλλάγητε τῷ Θεῷ, ne inuitationem, ostensumque salutis consequendae ordinem, spernant, aut prae fracte resistent, sed cum Deo in gratiam redeant, qui data credentibus in Christum, omnium peccatorum venia, veterum offensarum memoriam deponit, iustos renunciatos in amicos, filios et heredes vitae aeternae, adoptat. Sic restaurata Deum inter et peccatorem pace, reditaque conscientiae tranquillitate, Dei amicis, et Spiritus S. gratiosa in habitatione confirmatis, patent aulae coelestis fores, et liber-
rimus

* Secundum SPARTIANI de eo testimonium apud EZ. SPANHEMIVM l. c. f. 641.

** Sic PACI PERPETVAE Templum Hexastylon cum ara in ingressu, opus tota Vrbe Roma maximum atque pulcerrimum, Herodiano teste L. I. cap. 14. VESPASIANVS exstruxit, cuius effigiem exhibent praeclari Vespasiani ac Titi nummi apud SPANHEM. T. II. f. 648. sed superbum illud Pacis Templum sub COMMODO incendio dirutum, et combustum, euauit cum ipsa pacis et publicae tranquillitatis perpetuitate,

rimus ad thronum diuinum accessus in Christo Iesu Domino nostro, et deprecatore, in quo habemus τὴν παρρησίαν καὶ τὴν προσευγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως Eph. III, 12. Inde non potest non oriri ingentis solatii et gaudii copia Esa LXI, 3. et 10, cum omnium bonorum spiritualium abundantia, certaue fiducia, cuncta incommoda et mala piis immissa, iis insigniter profutura, et cooperatura εἰς ἀγαθόν Rom. VIII, 28. Deus enim omnipotens est illis Sol et clypeus, Psalm. LXXXIV, v. 12. Solis quippe imago olim in scutis solebat depingi. Amicitiam et beneuolentiam Dei comitatur amicitia omnium Dei amicorum, et angelorum, quin et ceterarum rerum conditarum, quarum nulla piorum saluti obest. Vera est Eliphazi adseueratio Hiobo V, 23. facta: *Cum lapidibus agri erit foedus tuum, et bestiae agri erunt pacatae tibi. Et experieris, pacem inesse tentorio tuo.* Idem quippe repetitur, Hos. II, 18. Loca horrida, situque aspera, ipsis non erunt infesta. Saxa mollescent, ne pedes offendant. Tenebrae, Christo praesente, mutabuntur in lucem, nox in diem, mors in vitam. Cumque amicorum easit indoles, ut idem velint, et idem nolint, danda nobis est opera, his praesertim diebus festis, memoriae natiuitatis Christi pie recolendae, ab Ecclesia destinatis, ut diuinae εὐδοκίας fiamus participes, et ut ciues εὐδόκιμοι, vel εὐδοκούμενοι, vel, quemadmodum codices quidam, et versiones antiquae, hymni angelici verba efferunt, uti ἄνθρωποι εὐδοκίας, viuamus, beneuolentia et amore Dei non indigni. Coeamus igitur, CIVES, in Templis, laeto gratoque animo, procul profanis moribus, tanti beneficii magnitudinem celebraturi. Confluentis etiam nobiscum in aedem Academicam, ad audiendum oratorem sacrum, Virum Iuuenem Nobilissimum Ornatissimumque Dn. IO. HENR. LEICHIVM, A. M. de erroribus veterum circa Natalem Christi, docte facundeque verba facturum. Ad quam panegyrim, ipso die Christi natali, hora XII. audita, instituendam ILLVSTRISSIMOS COMITES, GRAVISSIMOSQUE VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, AC CIVES VNIVERSOS, ea, qua par est, ac decet, obseruantia atque humanitate inuitamus. P. P. pridie diei festi Natalitiorum Christi A. O. R. M. DCC XLII.

Rector Universitatis Lipsiensis ad festum nativitatis Christi ...
concelebrandum ... invitat [inest commentatio ad Luc. II, 14]

Lipsia 1742

4 Diss. 2315#Beibd.10

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10833642-0

VD18 15225097-001